



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Conclusio affirmativa statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

physicè prædeterminans non inducit necessitatem antecedentem, non est quia applicativè tantum ad actus nostros concurrat; sed quia à prima libertatis nostræ radice, efficaci scilicet divinæ voluntatis decreto, substantiam & modum in nostris operationibus causante, derivatur; subindeque ad nostram libertatem æquivalenter consequitur, & illam connotat ut effectum à se causatum: unde si illud quod se tenet ex parte actus primi, his conditionibus gaudeat, esto infallibiliter inferat operationem, illius libertatem non impedit, sed firmabit.

ARTICULVS IV.

An operationes Christi Domini fuerint valoris meritorij simpliciter infiniti?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

107. **N**otandum primò: consultò me non dixisse, an Christi meritum fuerit infinitum simpliciter, sed an operationes ejus fuerint valoris meritorij simpliciter infiniti: ut enim rectè observat Astucensis relict. de gratia Christi quæst. 5. art. 2. non est idem opus esse valoris meritorij infiniti simpliciter, & meritum esse infinitum simpliciter; quia ut meritum sit infinitum, non sufficit quod sit de se sufficiens ad faciendum sibi debitum quodcumque præmium, etiam infinitum, sed insuper requiritur quod importet actuale jus ad præmium infinitum, qui enim meretur, jus sibi acquirit ad præmium suscipiendum; ut autem quis acquirat sibi jus ad præmium suscipiendum, præter valorem operis, requiruntur plura alia, præsertim quod opus ordinetur ad præmium & mercedem, ut supra art. 1. observavimus.

108. Notandum secundò: Quod licet in operationibus Christi, ratio meriti & satisfactionis simul reperiantur, ut docet D. Thomas loquendo in particulari de passione Christi, infra quæst. 48. art. 1. & 2. ratio tamen meriti non est omnino eadem cum ratione satisfactionis: ista enim respicit malum personæ offensæ, ut repellendum, illa verò bonum meritis, ut à Deo obtinendum; unde dicimur Deo pro nobis satisfacere, nobisque mereri à Deo, vel apud Deum. Item valor satisfactorius sumitur ex dignitate personæ, valor autem meritorius ex ipsius sanctitate. His præmissis.

109. Circa propositam difficultatem duæ versantur sententiæ. Prima negat operationibus Christi Domini valorem meritorium simpliciter infinitum. Ita Scotus & ejus Discipuli, qui licet dicant Christi meritum fuisse infinitum, volunt tamen hanc infinitatem non esse propter valorem & dignitatem intrinsecam ipsius operis meritorij Christi, sed propter extrinsecam acceptationem Dei, quia videlicet fuit à Deo acceptatum pro infinitis posteris Adæ, si futuri essent. Eandem sententiam docet Joannes Medina, Codice de pœnitentia, tract. 3. quæst. 1.

Oppositam sententiam, affirmantem operationes Christi valorem meritorium simpliciter infinitum continere, docent omnes alij Theologi, tam domestici, quam extranei; illaque magnum habere videtur fundamentum in Extravaganti *unigenitus*, de pœnitentiis, & remissionibus, ut patebit ex mox dicendis.

§. II.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Operationes Christi Domini habuisse valorem meritorium simpliciter infinitum.

Probatur primò conclusio ex Clemente VI. in dicta Extravaganti *unigenitus*, ubi loquens de thesauro Ecclesiæ, sic ait: *De ejus consumptione, aut diminutione, non est aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi.* Ergo juxta Pontificem, operationes Christi fuerunt valoris meritorij simpliciter infiniti. Consequentia patet, Tum quia si illarum valor meritorius, non esset infinitus simpliciter, merita Christi non appellarentur absolute infinita. Tum etiam, quia alias formidare cum fundamento possemus, ne tantum peccata hominum crescerent, ut eorum multitudinem merita Christi tandem exstinguerentur, aut consumerentur, ut ex infra dicendis patebit.

Nec valet communis responsio Aversariorum, dicentium ex prædicta Pontificis definitione, non colligi merita Christi ex natura rei, seu ex valore intrinseco, fuisse infinita, sed solum ex favore Dei extrinseco, nimirum ex acceptatione divina, quia scilicet fuerunt acceptata à Deo ad præmium infinitum, nempe ad remissionem multitudinis infinitæ peccatorum, supposito quod illa daretur, vel esset possibilis. Non valet, inquam, hæc responsio: Primò, quia Pontifex ad infinitatem meritorum Christi suadendam, non ad acceptationem extrinsecam Dei, sed ad intrinsecam conjunctionem ad Verbum recurrit, dicens unam guttam sanguinis Christi, *propter conjunctionem ad Verbum*, sufficientissimam fuisse pro peccatis omnium hominum: Sed si merita Christi solum essent infinita ex acceptatione extrinseca Dei, ad illam recurreret, & non ad conjunctionem cum Verbo: Ergo solutio ista aliena est à mente Pontificis.

Secundò, Merita Christi de facto non fuerunt acceptata pro remissione infinitorum peccatorum: Ergo si ex se, & ex intrinseco valore, infinitatem non habent, non recipiunt illam ex acceptatione extrinseca Dei.

Tertiò, Vel acceptatio divina fuit juxta dignitatem meritoriam operationum Christi, vel fuit supra illam: Si primum, jam supponitur dignitas infinita, seu valor infinitè meritorius, in operibus Christi, ante Dei acceptationem. Secundum verò dici non potest: Ergo &c. Minor pro secunda parte, in qua est difficultas, sic ostenditur. Opus ex se non condignum, sed solum ex præstantis acceptatione, imperfectum est in ratione meriti; sicut pretium de se inæquale, & solum æquale ex alterius voluntaria acceptatione, est in ratione pretij imperfectum: Ergo si opera Christi de se non fuerunt condigna in ratione meriti, sed id habere ex acceptatione extrinseca Dei, fuere imperfecta in ratione meriti: hoc autem à mente Pontificis prorsus alienum est, cum loco citato excellentiam meritorum & satisfactionum Christi extollere, & perfectam redemptionis nostræ sufficientiam, imò & superabundantiam, declarare intendat.

Probatur secundò conclusio ratione quam idem Pontifex loco citato insinuat: Opus quod pro quovis præmio, majori & majori in infinitum, oblatum, dignè illud mereri potest, continet valorem meritorium infinitum simpliciter: At hujusmodi est quodcumque Christi opus: Ergo ha-

OOOO iij

bet valorem meritotum simpliciter infinitum. Major certa videtur: Tum quia si esset valoris finiti, posset deveniri ad aliquod primum quod illi esset adequatum, & ultra quod non posset se extendere condignitas ipsius operis. Tum etiam, quia vis effectiva physica effectuum inæqualis perfectionis usque in infinitum syncategorematicè, non potest causæ non infinite physice convenire, unde omnipotentia Dei infinitatem ex eo colligunt Theologi, quod ad effectus syncategorematicè infinitos inæqualis perfectionis extenditur: Ergo pariter vis effectiva moralis effectuum inæqualium sine termino (qualis est vis meritoria) convenire nequit actioni quæ in genere moris simpliciter infinita non sit.

113. Confirmatur: Quia satisfactio continet moraliter remissionem offensæ, vis satisfactoria pro culpis sine termino in infinitum, nequit convenire actui non habenti valorem satisfactorium simpliciter infinitum, ut supra ostensum est: Sed etiam primum moraliter continetur in merito: Ergo præmia sine termino nequeunt contineri in merito non habente valorem meritotum simpliciter infinitum.

114. Minor verò suadetur primò: Eadem est vis operationum Christi sub ratione meriti, ac sub ratione satisfactionis: Sed operationes Christi habuerunt vim satisfactoriam pro culpis inæqualis malitiæ sine termino in infinitum, alias timeri posset ne talis vis culparum multitudine tandem consumeretur: Ergo etiam habuerunt valorem meritotum præmium in perfectione inæqualium sine termino in infinitum.

Secundò, Omnia præmia creata, divisivè aut collectivè sumpta, non sunt tanti valoris & æstimabilitatis, ac opera Christi Domini, propter conjunctionem humanitatis ejus ad Verbum: Ergo vis illorum meritoria, ad omnia præmia creata & creabilia, quæ inæqualis sunt perfectionis, extenditur sine termino. Consequentia patet, Antecedens probatur. Si esset assignabile aliquod primum creatum & finitum, quod esset adequatum valori & æstimabilitati alicujus operis Christi, sequeretur posse dari puram creaturam, quæ eliceret opus tanti valoris & æstimabilitatis, quanta esset aliquod Christi opus; etenim nullum est assignabile primum finitum, quod non possit sibi pura creatura mereri per Christi gratiam: Sed implicat opus puræ creaturæ, etiam perfectissimæ, si daretur, & adjunctæ perfectissimæ gratiæ, esse tanti valoris ad merendum, quanti est quodlibet Christi opus, sicut implicat puram aliquam creaturam esse tam dignam, sicut Christus: Ergo implicat dari aliquod primum creatum & finitum, quod sit tanti valoris & æstimabilitatis, quantæ est aliquod opus Christi Domini. Rationem hanc videtur innuere D. Cyrillus in posteriori Epistola ad Reginas, dum ait, *Pretium non fuisse satis magnum, si Christus purus homo fuisset: ipsi verò Deo incarnato universa creatura comparata, modicum quid est, & ideo mors ejus abundè sat est ad liberationem.* Ubi affirmat Christi pretium, seu meritum, non posse æquari à merito puræ creaturæ, quia pura creatura comparata Christo, modicum quid est.

Tertiò Minor principalis suadetur: Persona divina potest taliter dignificare opera quæ elicit in natura assumpta, ut habeant valorem ad merendum quodcumque primum majus & majus in infinitum: At hoc supposito, convenientissimum est, talem valorem operibus Christi tribuere: Er-

A go opera Christi habebant valorem meritotum ad merendum quodcumque primum majus & majus in infinitum. Minor patet, Major probatur. Deus est quo nihil majus excogitari potest: At si non ita dignificare posset opera quæ elicere potest in natura assumpta, ut habeant valorem ad merendum quodcumque primum majus & majus in infinitum, posset excogitari aliquid excellentius Deo, quod nimirum illo modo talia opera dignificaret: Ergo &c.

Respondent Adversarij, falsam esse Minorem principalis argumenti, ut enim (inquiunt) opus meritotum ad præmia inæqualis perfectionis sine termino se extendat, non requiritur infinitas, sed sufficit superioritas ordinis; infinita namque ordinis inferioris nequeunt in perfectione adæquare rem ordinis superioris, & per consequens in actu meritotio dignitatis ordinis superioris, possunt præmia infinita inferioris ordinis moraliter contineri: quia ergo dignitas operationum Christi, est superioris ordinis ad omnem entitatem creatam & creabilem divisivè & collectivè, consequens sit, quod omne ens creatum meritotio contineatur in illis, licet non sint valoris meritotij simpliciter infiniti.

Sed contra primò: Vis effectiva physica effectuum inæqualis perfectionis sine termino in infinitum, non solum arguit superioritatem ordinis in principio continente, sed etiam infinitatem simpliciter, alias ex continentia omnium possibilem in omnipotentia, non rectè colligeretur illam esse infinitam simpliciter, sed tantum quod esset superioris ordinis ad omnem entitatem creabilem: Ergo pariter vis meritoria præmium syncategorematicè infinita, non solum arguit in actu dignitatem ordinis superioris, sed etiam dignitatem meritoriam simpliciter infinitam.

Secundò, Et si actus supernaturales sint ordinis superioris ad omnem entitatem & primum naturale, non habent tamen vim merendi præmia ordinis naturalis syncategorematicè infinita: Ergo sola superioritas ordinis non sufficit ad vim meritoriam, & moralem continentiam syncategorematicè infinitam rerum existentium in ordine inferiori.

Tertiò, Est in physicis res ordinis inferioris adæquare nequeat id quod in superiori ordine existit, in moralibus tamen hoc universaliter verum non est; ut constat in actibus misericordiæ, vel justitiæ, qui specificè inferiores sunt actui charitatis, & tamen plures actus repetiti misericordiæ & justitiæ, vel actus magnæ intensiōis, adæquare & excedere possunt in valore meritotio unum actum charitatis. Peccatum etiam charitati oppositum est gravius specificè peccatis oppositis aliis virtutibus; & tamen peccata aliis virtutibus opposita, sæpius repetita, vel intensissimo conatu patrata, excedere possunt in gravitate unum peccatum contra charitatem commissum: Ergo si valor meritotius operationum Christi non sit infinitus simpliciter, quamvis sit superioris ordinis ad omne primum creabile, poterit præmium multitudine adæquari, subindeque illarum vis meritoria, non erit syncategorematicè infinita.

Denique suaderi potest conclusio ratione à priori: Sanctitas personæ operantis dat operi valorem meritotum, sicut ejus dignitas in illud infundit valorem satisfactorium, ut supra notabili secundo observatum est: Ergo infinita sanctitas infinitum dat valorem: Sed sanctitas Christi infinita est in ratione sanctitatis, fuit enim illius huma-

nititas sanctificata infinitè per gratiam unionis, ut disp. II. vidimus: Ergo illius operationes valorem meritorium simpliciter infinitum continent.

118. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Opera humana facta extra statum adoptionis filiorum Dei, seu in pura natura, hoc ipso quod sunt bona moraliter, merentur de condigno præmium aliquod naturale: eadem verò opera, eo ipso quod sunt ab homine sanctificato per gratiam habituales, & constituto in statu adoptionis filij Dei per iusticiam inhaerentem creatam, nullà alià factà mutatione physicà in substantia ipsorum, eleuantur ad tantam dignitatem, ut mereantur de condigno præmium supernaturale vitæ æternæ, quod multum excedit præmium illud naturale: Ergo eodem modo, eadem opera, nullà factà mutatione in illis, eo ipso quod à Filio Dei naturali, & à persona infinitè sancta, qualis est Christus, eliciebantur, erant meritoria de condigno præmij infiniti, & valorem meritorium infinitum simpliciter continebant.

119. Respondent Scoti Discipuli: quod licet persona Christi sit infinitè sanctitatis, non sequitur tamen, ejus operationes continere valorem meritorium simpliciter infinitum: quia (inquiunt) persona non influit in opera meritoria immediatè seipsà, sed medio principio quo, mediante scilicet humanitate, & gratià habituali; unde cum illa finita sint, Christus non influit in suas operationes valorem meritorium infinitum simpliciter, sed tantum valorem inadæquabilem à merito puræ creaturæ.

120. Sed contra primò: Vel persona Christi communicat seipsà immediatè aliquem valorem operi meritorio, vel non? Si primum, dat infinitum valorem. Si secundum, dare nequit valorem inadæquabilem à merito puræ creaturæ: Ergo vel fateri debent Scoti Discipuli, opera Christi esse valoris meritorij simpliciter infiniti, vel negare quod gaudeant valore inadæquabili à merito puræ creaturæ. Prima pars hujus discursus patet, Scotistæ enim ex eo inferunt personam Christi, quamvis infinitam, non influere in proprias operationes valorem meritorium, infinitum simpliciter, quia in illas non influit immediatè, sed mediante principio quo limitato: Ergo si valorem aliquem seipsà immediatè communicat operi meritorio, cessat limitationis ratio, & consequenter dare illi poterit valorem meritorium infinitum simpliciter. Pro secunda verò parte probatur: Principium mediante quo influit persona Christi valorem meritorium in proprias operationes, est ejusdem rationis cum principio quo meriti puræ creaturæ, nempe gratia habitualis, & virtutes ipsam consequentes, quæ licet in gradu intensiori communicatæ fuerint humanitati Christi, quam omni puræ creaturæ, potuerunt tamen de potentia absoluta, in gradu æquali, imò & majori, puræ creaturæ communicari: Ergo si persona Christi nullum valorem meritorium communicat propriis actibus immediatè seipsà, sed omnem tribuit mediante principio quo, nullus valor meritorius reperietur in illis, quem de potentia absoluta adæquate nequeat meritum puræ creaturæ.

Secundò, Etsi principium quo elicitur entitatem actuum, dignitatem tamen seu valorem moralem à persona desumptum non causat: Ergo licet limitatio principij quo elicientis, limitet actus Christi Domini, quantum ad perfectionem physicam, non tamen quantum ad dignitatem & valorem moralem satisfactorium & meritorium, qui ipsis

competit ex dignitate & sanctitate personæ: Ergo ex eo quod persona Christi non influat in suas operationes immediatè, sed medio principio quo finito & limitato (mediate scilicet humanitate & gratià habituali) non rectè colligitur quod illis infinitum valorem meritorium communicare nequeat.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Opus quod non est dignum infinito præmio, non potest infinitum valorem meritorium continere: Sed opera Christi non erant digna infinito præmio: Ergo non erant valoris meritorij simpliciter infiniti. Major patet, nam valor operis meritorij, non est nisi jus quoddam ipsius operis ad præmium sibi æquale; unde opus aliquod ideò dicitur finiti vel infiniti valoris meritorij, quia habet jus ad finitum vel infinitum præmium, seu quia est dignum finito vel infinito præmio. Minor verò probatur: Non est dabile infinitum præmium, ut infinita gratia, aut infinita visio Dei: Sed Christi opera non erant digna nisi præmio possibili, alias Christus plus meruisset, quam Deus possit conferre, quod est absurdum, & multum derogans infinitati divinæ potentie: Ergo opera Christi non erant digna infinito præmio.

Respondeo primò, concessa Majori, distinguendo Minorem: Opera Christi non erant digna præmio infinito actu & categorematicè, concedo Minorem: infinito in potentia & syncategorematicè, nego Minorem: opera enim Christi erant digna quocumque præmio finito, majori & majori in infinitum, ut in prima probatione conclusionis ostendimus: hoc verò arguit in ipsis valorem meritorium simpliciter infinitum, ut patet exemplo ibidem adducto de potentia Dei, quæ est infinita simpliciter, quia dato quocumque effectu, potest alium præstantiorem producere, quamvis quilibet illorum semper sit finitus.

Respondeo secundò, negando absolute Minorem, opera enim Christi fuerunt digna præmio simpliciter & actu infinito, nimirum unione hypostaticæ humanitatis suæ, vel alterius hominis, cum Persona Patris, vel Spiritus Sancti, quæ unio est bonum quoddam infinitum. Imò juxta probabilior sententiam, quam supra secuti sumus, Christus sibi meruit reunionem humanitatis ad Verbum factam in resurrectione, quæ etiam præmium quoddam infinitum est, cum sit veluti quædam restitutio unionis hypostaticæ, ut ibidem exposuimus.

Dices, Si Pater carnem assumeret, intuitu alicujus operis Christi, virtus meritoria talis operis exhausta maneret: tunc enim meritum exhauritur, quando ei correspondet præmium æqualis valoris: incarnatio autem Patris, æqualis valoris & æstimationis est, ac quæcumque operatio Christi: Ergo valor meritorius operationum Christi, talis conditionis non est, ut quocumque præmio dato, inexhaustus perseveret, subindeque non est simpliciter infinitus.

Respondeo in casu quo Pater vel Spiritus Sanctus carnem sumerent, intuitu alicujus operis meritorij Christi, exhauriendam fore illius operis condignitatem, ob rationem assignatam, id tamen non obstat infinito valori meritorio operationum Christi; non enim petit infinitas valoris meritorij, quod infinito præmio non exhauriatur, sed

1113

1114

1121

1134

1143

1144

1151

1152